



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Germanica

Châteillon, Sébastien

[S.l.], 1558

Capvt XLV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54866](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54866)



*Deus v-  
nus a-  
mādus  
in om-  
nibus.* *v* amaturus est, is amat omnia in vno,  
vt in vno, & omnia, & vnū in omni-  
bus, vt omnia in vno. Itē q̄ aliquid,  
hoc aut illud amat, aliter quā in vno,  
& propter vnum, is Deum nō amat,  
vtpote qui amat aliquid quod Deus  
non est: ideoque amat aliquid ma-  
gis quā Deum. Qui igitur aliquid  
magis amat quā Deum, aut ali-  
quid amat præter Deum, is Deum  
nō amat. Etenim debet & vult Deus  
solus amari: & verè nihil amari de-  
bet, nisi Deus. Et in quo homine ve-  
rum lumen & verus amor inest, ab  
eo nihil amatur nisi Deus. Amatur  
enim ibi Deus vt bonum, & prop-  
ter bonum: & omne bonum vt vnū,  
& vnum vt omnia. Nam verè om-  
nia sunt vnum, & vnum sunt om-  
nia in Deo.

## CAPVT XLV.

*An pec-  
catū a-  
mandū  
sit.* **H**ic existit quæstio: Postquā  
omnia amari debent, an pec-  
catum quoque amari debeat. Re-  
spondeo, non debere. Cū enim di-  
citur Omnia, intelligitur duntaxat  
bonum: & omne quod est, bonum  
est, in eo quod est. Diabolus est bo-  
nus in eo quod est: hac quidem ra-  
tione

tic  
nu  
cu  
qu  
be  
  
ni  
re  
fu  
in  
be  
al  
D  
&  
D  
te  
D  
id  
pl  
D  
na  
se  
m  
&  
qu  
qu  
ne  
te  
pr



tionem nihil est malum, aut non bonum. Sed peccatum est aliter velle, cupere, aut amare, quàm Deus. Atqui hoc velle, non est esse: itaque ne bonum quidem est.

In summa: Nulla res bona est, nisi quatenus in Deo est. iam omnes res hoc ipsum quod sunt, in Deo sunt: & quidem multo magis, quàm in seipsis. propterea sunt omnes res bonæ, ut quidem sunt. Quod si esset aliquid, quod non essentia esset in Deo, id non esset bonum. Atqui velle & cupere aliquid quod sit contra Deum, non est in Deo. nec enim potest velle aut cupere Deus contra Deum, aut aliter quàm Deus. Itaque id malum est, non bonum, aut etiam planè nihil est. Amat etiam opera Deus, sed non omnia opera. Quæ nam igitur? Quæ à doctrina & disciplina veri luminis, & à vero amore proficiscuntur. Quod ab his, & in hoc fit, in spiritu & veritate: & quod huiusmodi est, id Dei est, ei que placet: sed quod à falso lumine, falsæque amore proficiscitur, id totum prauum est: & maxime quod proficiscitur, fit, omittitur, agitur,

*Nulla  
res bo-  
na, nisi  
in Deo.*



aut toleratur ab alia voluntate, aut cupiditate, aut ab alio amore, quàm à Dei voluntate & amore: id est, & fit sine Deo, & contra Deum: est que etiam contra Dei opus, & omnino peccatum est.

## CAPVT XLVI.

*Fides pa  
rit scien  
tiam.*

*Mar. 16  
d.*

**D**ixit Christus: Qui non credit, aut credere vult aut potest, is damnatus & perditus est. hoc certè verum est. Nam qui homo venit in hanc vitam, nō habet scientiam, nec potest ad scientiam venire, nisi prius credat: & qui scire vult antè quàm credat, nunquā, venit ad verā scientiam. Non sunt hæc accipienda de capitibus Christianę fidei: hæc enim omnes, & vnusquisque Christianus homo vulgi credunt, fontes equè ac infontes, mali æquè ac boni. Hæc credenda sunt: alioquin ad eorum cognitionem perueniri non potest. Intelligenda sunt hæc de veritatis negotijs, quæ sciri possunt, & inueniri. Hæc credenda sunt antè quàm sciantur aut inueniantur, alioquin nunquā ad verā scientiam peruenitur. De hac fide loquitur Christus.

C A=